



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xlv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captiuum me ducetem in lege peccati, quae est in membris meis. Si autem captiuus erat, minimè pugnabat. Quapropter & captiuus erat, & pugnabat. Igitur legi mentis eius lex quae in membris est repugnabat. Si autem pugnabat, captiuus non erat. Itaque est homo, ut ita dixerim, captiuus & liber. Liber ex iustitia, captiuus ex delectatione quam portat inuitus.

De presbyteris villanis si in ciuitate offerre audeant. Cap. XLIIII.

Presbyteri ruris in Ecclesia ciuitatis episcopo praesente, vel presbyteris vrbs ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. Si verò absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt.

De eadem re. Cap. XLV.

Presbyteri qui conregionales non sunt, in Ecclesiis praesentibus episcopis vel presbyteris ciuitatis, offerre non poterunt, nec panem dare, in oratione autem calicem dabunt. Quòd si absentes sunt ciuitatis sacerdotes, & fuerint inuitati in orationem, soli possunt dare.

De illis qui per ebrietatem Eucharistiam euomerint. Cap. XLVI.

Siquis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam euomerit, XL. dies poeniteat: Clerici, vel monachi, seu diaconi, XL. dies poeniteant, presbyteri, LXX. dies, Episcopi, XC. Si pro infirmitatis causa euomerit, VII. dies poeniteat.

De hoc, si aliquid de calice sacri sanguinis stillauerit. Caput XLVII.

Si verò per negligentiam de calice aliquid stillauerit in terram, linguabitur, tabula radetur. Si non fuerit tabula, ut non conculectur, locus corradetur, & in igne consumetur, & cinis intra altare recodetur, & sacerdos quadraginta dies poeniteat. Si super altare stillauerit calix, forbeat minister stillam, & tres dies poeniteat. Si per linteum altaris ad aliud stilla peruenerit, quatuor dies poeniteat. Si usque tertium, nouem dies. Si usque quartum, quindecim dies:

S iiii